113

VIRO
MAGNIFICO, MAXIME STRENVO
AC GENEROSO DOMINO

DOMINO
SIGISMVNDO MICHAELI
SIEFFERTO

PRAECONSVLI, BVRGGRABII REGII MVNVS
HACTENVS GERENTI
AC
DOMVS SPIRITVS S. HOSPITALIS PRAEFECTO
MERITISSIMO

GRAVISSIMAM PRAESIDIS DIGNITATEM

D. XV. MARTII MDCCLXVIII
COLLATAM
GYMNASII DRVSICI NOMINE
VENERABVNDA MENTE
GRATVLATVR

SAMVEL GOTTL. STELLMACHER
LING. ORIENT. ET ELOQV. PROF. ORDIN.

ET
DE CONTEMNENDO INIQVO ALIORVM IVDICIO
PAVCA QVAEDAM PRAEFATVR.

ELBINGAE
LITTERIS NOHRMANNIANIS.

Sapiens, recte facti, non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit.

PLINIVS.

Neminem, graecis litteris leuiter saltem tinctum, fugit illud prouerbium: *τω Μωμω αρεσκειν αδυνατον*; siue vt stilo loquar Romano: Momo placere impossibile. Hic enim deus, tum reliquorum deorum, tum hominum opera, quam diligentissime inspexisse, vbique multas inuenisse imperfectiones, easdemque confestim vituperasse dicitur. Quamuis quidem hoc commentum poeticum iam dudum sit explosum: ille tamen stultitiae pater, sat numerosam hodienum adhuc habet prolem, ipsius mores quam fidelissime imitantem.

Nihil

Nihil dicam de illis, qui non erubescunt, imperscrutabilia, DEI TER OPTIMI MAXIMI, decreta, in redimendo genere humano manifestata, ore violare profano, mysteria humano intellectu longe altiora irridere, & voluntatem DEI reuelatam labiis atque calamis perstringere improbis. Hi enim satis superque stultitiam suam haud exiguam produnt, dum immensam Summi Numinis sapientiam, in eligendis aptissimis mediis, ad optimum perducentibus finem, ingenii sui metiuntur modulo.

Iuuat tantummodo, eorum facere mentionem, qui vt rigidissimi censores, omnia reliquorum hominum conamina innocentissima, imo sæpenumero vtilissima, carpunt, ad omnia illorum facta lynceis attendunt oculis, & optima quæque in malam interpretantur partem.

Sit licet quis Aristide iustior: tamen non effugiet maleuolorum reprehensionem; sit quis patriæ amicior Cicerone, ingrata tamen cohors, eaque meritorum impatiens, actiones eius æternitate sæpe dignas, dente rodet Theonino.

Quomodo itaque huic medendum est malo? Num via virtutum, cum semita scelerum atque flagitiorum est commutanda? Minime. Veræ enim virtutis sectator, sua semper habet habebitque præmia, si non externa tamen interna.

At

At vero, forsan conuitiis compescenda est improba obtrectatorum lingua? Absit hoc a sapiente, ne dicam a christiano. Contemnendæ potius sunt, imperitæ multitudinis vituperationes, oculo misericordiæ pleno despicienda sunt, hominum talpa coeciorum iudicia iniqua. Vt enim, teste Plinio, * (at quanto quæso viro!) de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex iudicare: ita nisi sapiens non potest perspicere sapientem. Cum vero, homo vulgari tantum ingenio præditus, sapientem perspicere nequeat: de eo quoque vere iudicare non potest.

Equidem ea ingenui animi est indoles, vt malit probari, quam vituperari; negligere enim inquit Cicero, ** quid quisque de nobis sentiat non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.

Verum enim vero, probe videndum est, a quo ista laus proficiscatur. Laudari enim a viro bono ac sapiente, vera tantum laus est; ac contemni ab homine cui natura quisquilias pro cerebro dedit, plane nullus est contemtus.

Interea, fieri quoque potest, vt homo, quo nihil est verius, nihil candidius, nihilque integrius, a viro, alias haud mediocri prudentia prædito, sinistris carpatur sermonibus, quia

* Plin. epist. 10. Lib. I.   ** Cic. Cap. 28. Lib. I. de Offic.

quia huic nunquam contigit illum propius inſpicere, ſed quoniam famæ mendaci fidem habuit.

Quid quæſo conſilii, rebus ſic ſe habentibus, eſt capiendum? Sapientem decet, omnes vtriusque fortunæ caſus ſerena perferre fronte, & neque in rebus ſecundis elate ſe gerere, neque in aduerſis animo cadere. Veritas tandem in lucem prouenit, quid? quod radiis coruſcat clarioribus. Et hoc temporis momentum tranquillo exſpectandum eſt animo. Cæterum nullius ſibi conſcium eſſe criminis, nullaque pallescere culpa, optimum eſt ſolatium ſapientis, eiusdemque christiani; nam conſcia mens recti, famæ mendacia ridet.

Præterea virtus ipſa, tanta ſuauitate ſapientis animum perfundere poteſt, vt mercede aliunde petita, aut plebis aſſenſu æquo animo careat. Repræſentemus animo noſtro hominem, ab incorrupto conſcientiæ iudice abſolutum, ac certo certius perſuaſum, ſe ſcopo creationis, pro humanæ naturæ imbecillitate ſatisfeciſſe, gloriam Summi Numinis, & optimi Saluatoris promouiſſe, ac generi humano, vera præſtitiſſe officia; qua quæſo conſtantia, iniqua hominum iudicia contemnet, aſſenſu ſupremi rerum arbitri contentus; & qua quæſo animi tranquillitate, ingruente nocte, feſſa labore membra quieti committet, minime anxius, vtrum in hac, an in æterna ſit euigilaturus vita.

Vereor,

Vereor, ne contra harum pagellarum ſcopum agere videar, ſi diutius huic materiæ immorer: hinc opuſculi huius abrumpam filum, ingenueque gaudium fatebor, quo meæ, & omnium gymnaſii ciuium, venæ tument.

Inter tot enim bonorum applauſus, interque tot ciuium gratulationes, de grauiſſimo PRAESIDIS munere, ſtrenue a TE, ſuſcepto, Muſæ quoque Elbingenſes ſibi temperare non potuerunt, quo minus TE, PRAESES PERMAGNIFICE, me, imbecillo quidem, candido tamen interprete, votis ac congratulationibus proſequerentur. Nemo, niſi omnium rerum ignarus, ignorat, arduum PRAESIDIS munus, AMPLISSIMI SENATVS ſuffragiis TIBI traditum, multis curis, laboribus, atque moleſtiis eſſe coniunctum; quippe in puppi nauiculæ Elbingenſis ſedens, eius gubernacula tenes, tractasque.

Quæ cum ita ſint: nihil eſt æquius nihilque iuſtius, quam vt quilibet, cui ſalus publica curæ cordique eſt, pro TVA ſalute, ſeria faciat vota. Boni itaque conſulas, VIR MAGNIFICE, demiſsiſſime rogamus, vota noſtra, perfectiſſimæ venerationis ac candidiſſimi affectus indicia.

Equidem non ignoramus, nos DIGNITATI TVAE, nihil adſtruere poſſe, ſi TE, omnibus encomiis

longe

longe maiorem, exquisitissimis, iisdemque meritis laudibus ad coelum efferre tentaremus: hinc omissis omnibus verborum fucis, ad vota statim atque preces confugimus.

DEVS, supremus coeli atque terræ PRAESES, TE PRAESES GRAVISSIME, pro salute publica excubantem, ac pro conseruanda & augenda ciuium felicitate vigilantem, fortissimo auxilio suo subleuet atque suffulciat. Procul repellat omnia, quæ animi TVI tranquillitatem turbare, & Prouinciam sat grauem grauiorem reddere possint. Fruaris semper valetudine firmissima, nullis morborum iniuriis concussa, & rebus mortalium ad summam usque intersis canitiem.

Tandem, TE PRAESIDE, Musæ Elbingenses, in summo otio, atque quiete exoptatissima, litteris, omnibusque ad humanitatem pertinentibus dent operam artibus!

TE PRAESIDE, commercia & mari & terra floreant vigeantque!

TE PRAESIDE, artifices & operarii, pane suo læte ac secure vescantur!

TE PRAESIDE, incolæ & accolæ, felicissimam agant vitam!